Quelle: http://manuscripta.at/?ID=492
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

78

servabo. Hic quod nulli licet occidere hominem nisi deo qui dominus est vite et mortis ac eciam ille qui est minister dei ad hoc legittime constitutus qualis est iudex etc. Non autem private persone est hoc licitum, esset enim hoc iudicium usurpatum super illud Ro. xiiii Tu quis es qui iudicas alienum servum etc. Quarto etc. omnis qui occidit hominem et facit hoc mala intencione ymmo peccat qui occidit hominem etiam reum et iuste occidendum super quod habet potestatem legitimam, occidit eum tamen mala intencione et iniusto animo ut non ex amore iusticie et hic bonum tamen sed forte ex livore vindicte ad appetitum pene etc. Quinto etc. qui occidit hominem compulsus necessitate evitabili tamen ut quia invadentem se et occidere volentem evadere posset fugiendo vel adiutorium aliorum advocando et non vult hic vel fugienda aut aliquo alio modo posset se salvare sed vult et occidit eum talis homicida reputatur et agit contra predictum preceptum ut dicunt doctores communiter. Sexto peccat qui danda operam rei illicite et per viam debet occidit hominem casu et preter intencionem

ut si quis violenter percutit uxorem mulierem pregnantem non intendens occidere et si inde sequatur mors mulieris aut fetus reus est homicidii maxime si fetus fuerat animatus et peccat contra hoc preceptum ut habetur Extra xxiiii In hoc enim dat operam rei illicite eo quod ex tali percussione nata sit sequi mors vel si quis proicit lapidem aut mittit iaculum versus locum ubi consuevit esse transitus hominum tunc dat operam rei illicite quare si occidit agit contra predictum preceptum et sic intelligitur de aliis similibus casibus. Septimo peccat etc. qui dando operam rei licite non tamen adhibendo diligenciam debitam occidit casu hominem et preter intencionem ut si quis in loco publico ubi consuevit transire homines secat arbores et adhibet # debitam diligenciam scilicet circumspiciendo aut alte clamando ut sibi caveant homines et occasione eadem opprimat aliquem ille secans reus est homicidii eo quod non adhibuit diligenciam et cautelam que in tali loco debita fuisset etc. Et intelligitur de aliis similibus casibus. Octavo peccat etc. qui vult et intendit aliud iniuste

operam rei licite et tamen si non adhibet debitam diligenciam